



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gvilelmi Postelli De Repvblica

Postel, Guillaume

Lvgdvni Batavorvm, 1635

Cap. XXIV. De sex Thesmothetis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

De sex Thesmothetis.

VELUTI summa capita in
 iudiciis sex Thesmothetæ
 cum tribus iam scriptis, tribuum
 Duces equites, equitumque ma-
 gistros eligere solebant alioqui
 horum præcipuum munus erat
 in iudices legum præscripto non
 utentes in iudiciis, veluti custo-
 dum totius Reipub. observato-
 rum, severissime animadvertere:
 ita loco illorum sane nos regios
 procuratores, & advocatos ha-
 bemus, sed apud quos non raro
 ἢ χεῖρ τῶν χεῖρ ἰσῆται. Scorsum
 porro Senatum extra præscri-
 ptū iure, aut consuetudine tem-
 pus cogere poterant: quod quan-
 ti esset muneris, quantæque au-
 thoritatis, ut hodie satis patet, ita
 Romani magno docuere argu-
 mento.

mento. Licebat enim apud eos tantum dictatori, consuli, prætori, & in summa rerum difficultate Tribunis tam militaribus, quam plebeiis id efficere. Habito senatu, illius acta significari popularibus curabant. Litem intendere præterea solebant in eos magistratus qui nondum omnium suffragio examinatum legem promulgassent, quam actionem *πυρονόμων γραφή* vocari iam supra in nomophylacibus notavi. Erant enim singulares legum vindices. Populis fundis præterea qui Atheniensem iure uterentur, ius præscribere, in falsos testes pœnam statuere, talionis pœna falsum accusatorem plectere, iudicibus singulis cum proedris sedes honoris loco designare, illorum fuit munus. Hoc munus in constituendis iudicibus probe observari à Quatuorviris præsidibus

M 5 apud

apud Parisios videmus, aut si alii sint, ab uno qui curiæ præsideat. Sunt enim apud nos, præcipue Parisiis (quum alioqui in Gallia sit conventus Rhotomagensis, Burdegalensis, Tolosanus, Gratianopolitanus, & Divionensis) plures ut vocant camerae, quæ subsellia non male vocari credo, quibus varios iudices quotannis dari cerrum est. Alibi enim causæ civiles, capitalia alibi crimina, alibi quæstio rerum fiscalium tractatur. Iura Principum alii, multas alii exigunt. quæ prosequi esset aliud opus si pro materia dicatur. Verum hæc me admonent ut subselliorum Atheniensium loca nunc attingam.

C A P.